

A. Ω.

DISSERTATIO PHYSICA,  
De  
**TEMPERAMENTO**

PRÆVIA SACRO SANCTA TRIADE,  
Ut &

*Suffragio & approbatione Ampl. FAC: PHIL:  
in inclyta & celebri ad auram Academia,*

SUB PRÆSIDIO,

*Amplissimi & Praclarissimi Viri,*

**DN. M. PETRI HAHN,**

In dicto Musarum palladio Scientiæ  
Naturalis Professoris Ord. celeberrimi,  
Præceptoris & Promotoris sui maxi-  
mè suspiciendi.

*Placida Φιλοσοφέντων censura, qua par est,  
modestia, delata*

A

**SUNONE M. THELINO, SMOL.**  
Regio Alumno.

*Indiatribu Acad. maxima ad d. 16. Ιουνίου  
volente, 3. Junii Anni redonata gratiæ, 1690.*

ΑΒΟΑ, Impr. apud JOH. WALLIUM, AT

VIRIS,

*Doctrinae, Dignitatis, Virutis, Meriti, Prudentiae & experientiae laude maxime inclytis*

DN. GIURDONI *BYREBORNEN*/ Districtus Savelaxensis, Judici territoriali consultissimo & Aequissimo, ut Promotori ac Evergetæ Indubitatissimo, ita conterraneo plurimum honorando.

DN. GUDMUNDO *HÖÖR*/ Academiae Aboënsis Quaestori Accuratissimo, Promotori & Fautori Probatissimo, Sympatriotæ multis nominibus & grata mente colendo.

DN. JOHANNI RING, curiæ Carlshamb. multorum annorum senatori accuratissimo, Mæcenati & Promotori summè colendo.

DN. M. PETRO RING, ut Evergetæ magno, ita quavis honoris & officii observantia plurimum prosequendo.

DN. MAGNO *BROSEMANN*/ Dicitæ civitatis verbi Divini Ministro Vigilantissimo, Fautori semper honorando.

DN. ALBERTO *HÖMEL*/ Curiaejusdem Civitatis senatori prudentissimo fautori & benefactori officiosè colendo.

*Salutem Majestatis Trinunius!*

**M**ulta equidem dicenda essent, Mæcenas  
tes & Promotores, reverenter honoran-  
di, multaq; scribenda, si vel unquam  
digno satius elogio, Scientiam Na-  
turalem extollere possem: est enim hæc ipsa, quæ  
si ex objecto, quod ceteris disciplinis palmã præri-  
pit, censenda sit, nobilissima; neminẽq; fore arbi-  
tror, qui huic suas debitas deroget laudes. Exhi-  
bet enim omnium rerũ, sive cælũ, sive solum, sive  
salũ spectes, exactam satis rationẽ; adeo ut in eis  
elucescant magna & miranda Dei opera, natu-  
ræ latebræ, abditæq; rerũ abyssi. In hujus Scien-  
tiæ Naturalis horto, innumeris florum gemmis  
distincto, odoriferis telluris herbis & præclaris  
naturæ monilibus nitenti, mihi tandem placuit,  
egregia hæc materia, de temperamento, cala-  
mo & meditatione digniss. Quam vestris nomini-  
bus, Mæcenat. & Promot. dedicatã esse submis-  
se volui, ut splendido lumine vestro, illam illu-  
minari patiamini; quo illa gratitudinis reve-  
rentiæq; in vos mea tesserã humilimã præbeat,  
pro beneficiis in me adeo abunde cumularu, qui  
nuncquam Vos tacito affectu venerari desinam.  
Accipite iam vultu sereno, nutuq; faventi, exi-  
guum & exile hoc devotionis meæ argumentũ,  
meq; humilitate & observantia Vobis obligatiss-  
simũ, solito vestro benignitatis favore amplectã-  
mini. De cetero Ut vivatis felices, sempiternoq;  
gaudio fruamini, optat & vover

Vestrarum Amplitudinum & Dignitatum

Officio Divinẽss: cliens

S. T. Auc̃t. & Resb.

Ad  
VIRUM-JUVENEM  
*erecti ingenii,*  
DN. SUNONEM THELIN,  
SMOL.

Conterraneum.,  
DE TEMPERAMENTIS  
*Publicè disputantem.,*  
GRATULATIO:

**V**irtutem teneris qui sponte colebat  
ab annis,  
Arbitror, Optima Ei Tempera-  
tura fiet.  
Temperiem, SUNO, ingenii monstras-  
nè subacti?  
Adfluit indè, THELIN, lausq; de-  
cusq; Tibi.

*Φιλίας ἕνεκα*

*subitò scripta*

ab

E L I A Sil: Sandz/  
Med. Doct. & Prof.

## Sancta Maneat Trinitas Vela Secundans!

## §. I. PROEMIALIS.

**F**uit olim, & etiamnum hodie pulchrum merito ducitur ac laudabile, per studia honores consequi. Verum quanto hoc est venustius, quanto honoratius, tanto difficilius & magis arduum censendum: *δυσκαλὰ γὰρ τὰ καλὰ*, sonat *πολυπύλλειον*. Intellectus enim noster (proh dolor) sese habet ad res cognoscendas, sicut vesperilionum oculi ad lumen diei, teste philosophorum Phosphoro Arist. 2. Met. c. 1. Subtilissimus etiam acutissimusq; ille Scaliger de angustia intellectus conqueritur, fateturq; de se ipso ingenuè, dicens: exerc. 297. *Sæpe me ipsum moneo, videam, animadvertam, inanimem, quam sit imbecilla nostra mentis acies ad investiganda nature penetralia. Quod etsi per plurimos, cum horum iudicii acumine minimè comparatos, à rerum naturalium contemplatione abstertere possit, ut taceam tantæ earum amplitudinis molem, quæ omnium hominum vitam, in theatro hoc nature obiter lustrando longe superat; earum tamen tanta dignitas, tanta pulchritudo, tantaque jucunditas, ut omnes in sui admiratione & contemplationem rapiant. Quæ certè & amorem & studium in me rerum naturalium abyssus, con-*



templandi excitavere. Verum cum ingenii tenuitatem, exiguamque facultatem, quam ab incunabulis comitem habui, in memoriam revocem, hebescit animus, langvescit mens, stupescunt sensus, quid ergo? contrahenda forsitan vela? & navis ad ancoram sistenda? minime, satis enim nos fecisse existimandum, si in re ardua aliquid voluerimus & conati fuerimus, quod haud minimum nunc erigit animum. Propius ergo nos ad propositum conferamus, & ne ab omni ævi Philosophis rectæ methodi ebusus in veritate indaganda arguamur, solliciti erimus primo de quæstione τὸ ὄντι. Oleum enim & operam se omnino perdidisse professus fuerit is, qui essentiam, affectiones aut operationes reales indagat ejus, cujus vera realisque in rerum natura negatur entitas. Temperamentum autem dari, neminem inficias iturum fore speramus, cum mente agitaverit, præter communem omnium Medicorum & Physicorum consensum, missionem à quatuor elementis fieri, suis non destitutis qualitatibus, quibus temperamentum, pro vario earum concursu, suam debet originem.

## §. II.

Materiam hanc, circa quam nos in præsentis occupamur, sapere realitatem essentiae

tiæ, iam omnibus, nisi plus satis præjudiciis  
 pueritiæ irretitis, patet. Pedem itaque securo  
 rursus tutiusque ad rem ipsam promoveamus.  
 Ad tractationem vero realem antequam nos  
 conferimus, haud defuturum operæ pretium  
 arbitramur, si ad receptam tam antiquæ, quam  
 nostræ ætatis Philosophorum consuetudinem,  
 à nominibus initium sumamus, ut illis probe  
 perspectis, realem nobis facilius acquiramus  
 cognitionem, juxta illud Epicteti: ἀρχὴ τῆς  
 παιδείας, ἢ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις. Et qui-  
 dem primo *Etymi* indolem ad sequentium me-  
 liorem intellectum indagaturi,prehendimus  
 temperamentum Prisciano dici à verbo *tempe-  
 ro*, i. e. rem suo ordine ac mensura administro,  
 moderor, temperationem facio, misceo, cum  
 Dat. autem quando construitur, abstinere si-  
 gnificat.

### §. III.

Uterius jam monet recepta methodus, ut  
 pauca de *homonymia* adjungamus, cui annexus  
 sit *Synonymiam*. Uno eodemq; modo  
 apud Auctores accipi non solet hæc vox, quæ  
 dissertationi nostræ titulum dedit; sumitur e-  
 nim (a) pro *moderatione, modo, mediocritate,  
 ratione*: quas significationes habet Cic. l. 3.  
 de leg. *inventum est temperamentum, quo te-  
 nuiores cum principibus se æquari putarint.*

4  
 Et Plin: *sali adhibito temperamento, ut nec  
 laxet nimis, nec arctum esse patiatur.* (β)  
 Vicem continentia lingvæ subit, Liv. 8. bel. pun.  
*Et si nulla alia re, modestia certe & tempera-  
 mento lingvæ adolescens senem vicero.* Quæ  
 vocis acceptiones non tam hic intelliguntur,  
 quam infinuantur. Hanc vero (γ) significa-  
 tionem, qua denotatur proportio quatuor pri-  
 marum qualitatum in corpore misto, pro no-  
 stra agnoscimus, quamvis duplex sit, *stricta*, sci-  
 licet quatenus temperamenti nomine intelli-  
 gitur qualitas humani corporis viventis, à san-  
 guine & spiritibus influentibus dependens, quæ  
 acceptio regnat fere in Medicorum pallia-  
 dio, & sic nobis non in totum, aliena. Et  
*lata*, quatenus cuilibet corpori misto com-  
 perit; quæ apprimè nostro arctidet instituto.  
 Excipit jam ordine ipsa vocis *Synonymis* enu-  
 cleanda, circa quam diu ut commoremur, è re  
 esse non docimus, præsertim cum nullum in  
 totum adæquatum vocabulum suggerere que-  
 amus; Græcis tamen *ὑγῆσις*; Latinis temperi-  
 es, temperatura & complexio dicitur, plura  
 enim in se complectitur, quæ altius si perpen-  
 derimus, tum ultimum hoc maximè Medico-  
 rum & Phycorum palato ad significandum  
 temperamentum, benè sapere constat.



## §. IV.

Haecenus circa nominalia vagati, ad realia  
 progressum facimus. Et absque ulteriori ver-  
 borum ambitu, statim rei substratae definitio-  
 nem, quam nobis exhibet talem Excell: Sperl.  
 praemittimus, *Temperamentum est qualitas  
 mixta, è miscibilium qualitatibus exorta, ut il-  
 lius opera mixta suas exerceant operationes.*  
 In hujus definitionis explicatione, ne à recta  
 aberremus via, è re maximè esse videtur, ut re-  
 gulam illam, quæ duplex nobis traditur, se-  
 cundum seriem Logicorum, *generis scilicet &  
 differentia*, ab aliis autem *conceptus conveni-  
 entia & disconvenientia*) paulo tamen latius)  
 dictam, aggrediamur. Quorum de prima heic  
 investiganda non hæsitamus, primo enim in-  
 tuitu pateat eam constituere qualitatem, cum  
 è qualitatibus elementorum suum habeat esse,  
 tactuq; sentiatur. Absit autem ut Avicennæ  
 aliorumve sententiis subscribamus, tempera-  
 mentum esse quintam quandam qualitatem, à  
 quatuor primis diversam & distinctam, iisque  
 superadditam, statuentium. Illos enim hæc  
 vana tenet opinio, quatuor elementorum qua-  
 litatibus consumptis, vel ad minimum refra-  
 ctis, quintam nasci. Verum temperamentum,  
 non à qualitatibus remissione, sed atomorum,  
 qualitatibus excellentibus præditarum, con-

gregatione pronascitur, ut infra B. C. D. fusius patebit. Quamvis extra pulveris jactum sic probatum, temperamentum esse qualitatem, prorepunt tamen quidam, illud substantiam esse affirmantes, sed minus validis suffulti rationibus, interdum enim *causam* actionum & vitæ *principalem* & *instrumentalem* confundunt, haud rectè perpendentes vitam *principaliter* ab anima, à temperamento autem *conditionaliter* & *dispositivè* dependere; interdum causam mixti, elementorum scilicet mixtionem, à causa temperamenti non distinguunt; Interdum etiam viribus temperamenti plus justo adscribunt, quasi illud quibusdam corporis partibus suum esse præberet, quod tamen illarum esse non largitur, sed insequitur.

## §. V.

Hæc pauca de *genere* sive conceptu convenientiæ dicta sunt, animum cum calamo jam ad *differentiam* seu *conceptum disconvenientiæ* convertere volumus. Qui exprimitur *1. subiecto*, quod nobis subministrat omne corpus mixtum, temperamentum enim non in homine, brutis & plantis tantum, sed & in omnibus corporibus à quatuor elementis compositis, offendimus. Hinc ergo illud corpora simplicibus negamus, horum enim essentiam elementa non ingrediuntur. *2. Causâ efficiente*,  
ubi

ubi lubricam nonnullorum sententiam deprehendimus, temperamentum ab actione, passione, reactione & contactu primarum qualitarum, effici, minus concianè contendendum, & quidem hoc modo. Postquam confluerunt primæ quatuor qualitates, tanto temporis intervallo acie inter se decertant, quoad languidæ, debilitatæ & remissæ fuerint, cumque deposuerint quosdam contrarietatum gradus, quibus extremè dissentiebant, tandem amico quodam contactu applaudunt & coalescunt. Hanc actionem & passionem ostendit Dan. Sennert. Nat. Scien. Epit. l. 3. c. 2. p. m. 251. & seqq. Joh. Mag. in sua physiol. l. 3. c. 9. p. m. 254 & seqq. Actionis, passionis, reactionis & contactus modum, per refutationem, tractat Sperrl. instit. Phys. l. 6. c. 3. p. m. 920 & seqq. hæc omnia brevitati studentes intacta præterire cogimur, brevibusq; saltem horum assertum negando adorimur, ubi omnium primo, num fundamentum huius assertionis firmo stet talo, inspiciamus, quod elementorum alteratio insinuat, quam strenuè contra hos & plures alios sine rubore pernegamus, quamdiu enim propria suis inerunt subjectis, tamdiu alteratio non inerit elementis, in Logicorum scholis didicimus canonem: *propria nunquam à suis separantur subjectis.* Summa frigiditas

giditas aquæ, summaq; caliditas ignis proprium est, quod à suis subjectis tollit alteratio. Sic directâ elementorum alteratione, temperamentum ab actione, passione, reactione contactuq; primarum qualitatuum oriri, approbare minimè valemus, fundamentum enim qui demolitur, eodem negotio quidquid superstructum est, solo æquat. Causam ergo efficientem statuimus esse conjunctionem primarum quatuor qualitatuum, egregiam inter se harmoniam & proportionem foventium. Denique ꝑ. evolutio finis sequitur, circa quem ut moram necitamus, haud instituti fert ratio, paucissimis tamen nervum tangere placet, *finem* scilicet *generalem*, & *specialem* in medium proferendo. *Ille*, gloria est altissimi, institutoris & conservatoris honor, cujus sapientissimæ ordinationi satisfacit. *Hic*, ut omne corpus mistum suis operationibus beneficio ejus gaudeat, naturam enim semper operari, nunquam sui muneris oblitam cernimus. At cum multas edat operationes, vires qualitatuum elementarium longe lateq; excedentes, ideo omnes ejus operationes temperamento adscribere, & ad manifestas deducere qualitates, non licet. E.G. quod feles lipothymiâ corripiant nonnullos, omnino imputandum est formæ (materiam enim esse principium passivum

vum constat) idque mediantibus qualitatibus, per quas formæ operantur; si per temperamentum tum qualitates elementares ultra vires agerent, si per aliam qualitatem tum omnino est occulta, sensus enim fugit, proprioque nomine designari nequit, maturè autem deliberent, qualitates occultas asyllum ignorantia esse dicentantes, quid ex his eligere velint, sed nos ad propositum. Porro notandum operationes istas, quæ temperamento adscribuntur, eidem saltem ut causæ instrumentali imputari debere; formæ enim sunt quæ dant operari per temperamenta. Vide sis *Duncani Scoti physiol. l. 1. c. 6. p. m. 27.*

#### §. VI.

Pro ratione instituti, satis de definitione tam in nominali quam reali dictum esse existimamus. Succedit jam temperamenti divisio ex vario contrariorum concursu sumenda, quot enim modis variantur in mixtione elementorum vires, tot temperamentorum differentia oriuntur. In mixtione aut mensura qualitarum omnium elementorum æqualis concurrat, aut inæqualis. Si illud, dicitur *temperamentum ad pondus, sive proportionis Arithmetice*, quod tamen in mundi speciebus non inveniri, cum saniores Physici tum etiam Medici asserunt, & si inveniatur propter infinitas

mu-



mutationes, ne momento quidem subsistere posse fatetur Galenus 1. de sanit. tuen. c. 5. Quare imaginatione potius concipitur ut norma & mensura reliquorum temperamentorum. Consideratio autem hujus normæ necessaria judicatur, non solum ut per illam alias temperaturas tanquam per mensuras examinemus & intelligamus, sed etiam ut in hoc mediū Medici intenti, unicuique convenientem diætā præscribant, & statum corporis intemperatum corrigant. Si hoc, dicitur *temperamentum ad justitiam*, alias *proporcionis Geometrica*, nam ea mediocritas est, quæ unicuique pro dignitate & naturæ modo convenit. In isto inæquali qualitatum concursu, aut una qualitas ceteras vincit, sive superet; aut duæ ceteras duas sibi contrarias. Quam ob causam haud incommodè dispescitur hoc temperamentum ad justitiam in *simplex & compositum*. Siquidem una tantum qualitas in simplici temperamento **excedit**, ideo pro numero qualitatum, ejus quatuor sunt species, *calidum, humidum, frigidum, & siccum*. In composito vero, cum duæ qualitates reliquas duas contrarias superant, quatuor etiam pro varia illarum commixtione species dari neminem fugere putamus. *Aëreum* scilicet ubi calidum & humidum regnant, *igneum* ubi calidum & siccum excedunt

dunt, *Aqueum* ubi frigidum & humidum summas tenent, *terreum* ubi frigidum & siccum præponderant. Animalium vero temperamenta, ob variorum heterogeneorum humorum confluxum, aliis characteribus à Medicorum cohorte impositis, notantur; videlicet, *sanguineum*, *cholericum* ex bile flava, *Phlegmaticum* sive *Pituitosum*, & *Melancholicum* ex bile atra. Nam sanguis, qui per venas arteriasque meat, calidus & humidus existimatur; pituita frigida & humida; bilis flava calida & sicca; bilis atra sicca & frigida. Quapropter homo temperie calidâ & humidâ gaudens, *sanguineus* censetur; calidâ & siccâ *Biliosus* vel *Cholericus*; frigidâ & humidâ *Phlegmaticus*; frigidâ & siccâ *Melancholicus*. Itaque unius hominis affectus ab alterius, differentiâ horum humorum, maximè differunt, *Sanguinei* enim urbani inque lætitiâ proclives; *cholericici* cito vehementerq; irascuntur & subito placantur; *Melancholici* tardius quidem effervescent, semel autem irati, vix, nisi vindictam consecuti, resipiscunt; *Phlegmatici* veterinosi & ad laborem remissi. Hoc tamen tenendum, quod alia temperamenti ratio sit in inanimatis, alia in animatis, in illis totum & singulæ partes unius sunt temperamenti. In his vero diversa sunt singularum partium temperamenta, ob diver-

diversum calorem illis conatum: & totum in quavis specie, unum temperamentum obtinet, propter illum unum innatum calorem. Videatur Dun. Scot. in antea cit. loc. *Animantium temperamentum præcipue ex cordis & hepatis temperaturâ estimatur. Hæc enim omnibus partibus nutrimentum, spiritus & calorem tribuendo, unum quasi totius corporis habitus temperamentum constituunt.* Sennert. Nat. Scient. l. 3. c. 4. p. m. 289.

## §. VII.

Adhuc duplex in animalibus apparet temperamentum, *radicale & fluens*. Illud primæ conformationi originem debet, estq; in maribus calidius siccusq; quam in fœminis. Quamvis tamen ætate, gravissimorumq; morborum incurfu varietur, non facile tamen penitus extirpatur. Hoc vero cum ex iis, qui extrinsecus accedunt, ortum sit, non mirum est, illud perpetuæ mutabilitati & restitutioni obnoxium esse; Alteratur enim solo, diæta, anniq; temporibus &c. juxta illud poëtæ:

*Tam firmum natura nihil produxit, ut esset  
Semper idem, fortuna vices & tempora mutat.*

Coronidis loco, signa hominis temperatissimi annectere placet: hæc imprimis observandum, quod licet temperamentum totius corporis humani ex cordis præcipue & hepatis indole,

le, ut modo dictum, æstimeretur; iudicatur ta-  
 men homo temperatissimus, ab his duobus  
 signis, corpore scilicet & animo, à *Corpo-*  
*re*, si ejus partes, præcipue principales, cor,  
 iecur & cerebrum, apte sint constitutæ,  
 habitus etiam ejus si sit nec nimis crassus, nec  
 nimis gracilis, inter hirsutum & glabrum,  
 mollem & durum, calidum & humidum. Por-  
 ro si pili colore mediis inter album & nigrum  
 sint, aut in pueritia magis rufi, in juventute  
 magis nigri. Ab *animo* vero quando homo  
 nec timidus nec audax dici potest, & inter  
 omnes affectus animo medius sit; tandem de-  
 bet alacri animo esse, prudentia & perspicua-  
 citate singulari, nec somno, nec vigiliis nimis  
 deditus, in summa omnes cum animales, tum  
 naturales actiones inculpatas habere. Illa ipsæ,  
 quæ adhuc magna in copia ad hanc materi-  
 am dilucidandam calamo se ingerunt, in quibus  
 chartam conjici deberent; libens libensque op-  
 poneremus, si angustia chartæ, quam prolon-  
 gare vires facultatesve non sustinent, gra-  
 dum sistere, manumque à tabula retrahere, atque  
 ancoram jacere, nos non cogeret. Proinde fac  
 paucitatem levitatemque hanc, lector Candi-  
 de, candidam & æquam subire censuram; co-  
 gitans hæc brevissima levissimaque; qualia qua-  
 lia sunt in lucem edita non fuisse, si *Excellentis*

simi Dn. Præscidis favore atq; benignitate languidus depressusq; animus noster non fuisset erectus. Si jam alicubi erraverim, a recta via declinaverim (quod aliter fieri nequit) & hæcce minus concinne composireq; composuerimus, des quæso aliquid subtili materiæ, des aliquid nostræ in tam abstrusis nature arcanis ruditati, perpendens nos omnes homines esse, *nihilq; humanum à nobis alienum*. Tu interim Mome nos mitte, venenatamq; & mordacem tuam linguam cohibe, quæ dum blanditur, mordet, dum ridet, rodit, more aspidum virus suum evomens; potius altius perpende illud curtii lib. 7. c. 4. *Natura mortalium hoc quodq; nomine prava & sinistra duci potest, quod in suo quisq; negotio, habetior sit, quam in alieno. Turbida facta sunt consilia eorum, qui sibi suadent; & quidem hæc causa, quæ obstat aliis metus, alii cupiditas, nonnunquam etiam naturalis eorum, quæ cogitaveris, amor.* Fac jam quod tui juris est, scito autem humanum est errare; humanum etiam pro perfectis imperfecta dare. Ego quidem ipse contentus dum bonis placeo, malis enim displicere laus est.

SOLI DEO GLORIA.

COR-



# COROLLARIA.

- I. *Sensum & rationem ad omnem veritatem philosophicam investigandam non sufficere constat.*
- II. *Natura à materia & forma sola differt ratione.*
- III. *Non omne quantum est divisibile.*
- IV. *Materia cœli simplex est, & nullam infert corruptionem.*
- V. *Cœlum nec coloratum nec visibile est.*
- VI. *Terra quiescit & sydera moventur.*
- VII. *Corpus quiescens non est otiosum.*
- VIII. *Cause effluvia educentes sunt stellæ.*
- IX. *Sol per atomos igneas calefacit.*
- X. *Omnia corpora mista ex elementis sunt & in ea resolvuntur.*
- XI. *Materia misionis sunt atomi elementares cum principiis chymicis.*
- XII. *Coëtio mistum perficit perfectione accidentali non essentiali.*
- XIII. *Vinculum vite consistit in spiritu insito & influente.*

*Disputationis hujus Auctori, bonarum literarum humanitatisq; Studiofo impigerrimo,*

DN. SUNONI M. THELIN,

Conterraneo & Amico ut fidelissimo, ita dilectissimo,

SUNO M. THELIN,

*per anagramma*

SUM. THEON. NIL.

*Elaboratio.*

**N**unc THEON, ut rodas, NIL efficis,  
huncce, maligne;  
Certus enim SUM, quod sat placet  
ille bonis.

*accinit*

H. MONTELIUS, *Wex:*

*Reg. Alumnus.*

---

*Scandenti Sedes Sublimes Sicelidumque,  
U sibus Utilibus Veniant Voveoq; Venusti  
Navati Nutus, Numeretur Numine Nisus!  
Omnibus Omnigenas Operas Ostēdis Opesq;  
Magnamim<sup>9</sup> Magnis Meruisti Munera Musis,  
Temperiem Tentans Tētigine Terricolarū.*

Sic sincero suo amico congratulari voluit

PETRUS J. KOMSTADIUS,

*Reg. Stipend.*

